

« Nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam. » Ridiculum enim est, ut post sententiam remaneat delictum occultum; cap. de hoc 11, de *Simonia*. Tum quia si ex declaratione Sacrae Congregationis, allata num. antecedenti, non licet Episcopo dispensare in delictis deductis, ad forum contentiosum, quando adhuc incertum est, an inquisitus sit culpabilis necne; longe minus licebit, quando per sententiam condemnatoriam, certum et notorium est reum esse culpabilem. Sic Fagnan. loc. cit. num. 140. Barbosa de *Offic. et potest. Episcop.* allegat. 37, num. 35, cum multis ibi citatis contra Sanchez, Henriquez, Reginald. et alios ibi citatos sentientes etiam in hoc casu posse Episcopum dispensare. (42. Potest tamen Episcopus dispensare cum reo, qui finito iudicio contentioso obtinuit absolutionem ab injecto crimine, quia adhuc manet occultum, et non potest dici deductum cum effectu, ex quo probatum non fuit. Barbosa loc. cit. num. 32, cum plurimis ibi adductis. (43. Etiam si mediis depravatis obtinuerit absolutionem, adhuc cum ipso poterit dispensare Episcopus. Barbosa loc. cit. num. 33, cum Suarez, Sanchez, Sayro, Campanil. et aliis ibi adductis. (44. Immo etiam si iudicium non fuerit sententia absolutoria finitum, si accusator per annum tacuerit, poterit Episcopus, elapso anno, cum ipso dispensare, ut tenet Campanil. in *divers. Juris canon.* rubr. 7, cap. 5, num. 8, et rubr. 11, cap. 23, n. 144, et allegat Gloss. verb. *Obrepsit* in cap. *Tantis* dist. 81, et c. *Omnipotens Deus de Accusat.* Majol. de *Irreg.* l. 4, c. 17, sub n. 9. March. tr. 1, p. 9. *Diffic.* 4, n. 8, et 9. Barb. loc. c. n. 34, cum Sayro, Boss. Sigismundo a Bonon. ibi citat.

(45. Quando Episcopus possit, vel non dispensare quoad Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, et Decreta Conciliorum Generalium. Vid. Verb. *Dispensatio* a num. 22, usque ad finem. Quoad Bigamiam, Vid. verb. *Bigamia*. Quoad observantiam Festorum, Vid. verb. *Festum*. Quoad jejunia, Vid. v. *Jejunium*. Quoad impedimenta matrimonii, Vid. v. *Matrimonium*. Quoad Irregularitatem, Vid. *Irregularitas*. Quoad Juramenta, et vota, Vid. v. *Juramentum et Votum*. Quoad poenas Simoniae, Vid. verb. *Simonia*.

(46. Varia de Episcopis, Quoad Visitacionem, Vid. v. *Visitare, Visitatio*; quoad Ordinationes, seu Ordines, Vid. verb. *Ordinare, Ordo*; quoad Regulares, verb. *Regularis*; quoad Praedicationem, Praedicatorum, verb. *Praedicare, Praedicator*; quoad Processiones, verb. *Processio*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(47. Recte Auctor tom. 2, verb. *Dispensatio*, num. 24, inquit, Episcopum non posse dispensare a Legibus Ecclesiae nisi in casibus ipsi permissis. (48. Falsa enim est opinio illa quod Episcopus, modo specialim non sit prohibitus, valeat ab Ecclesiae Legibus dispensare. (49. Fuit olim, non infior, opinio haec D. Antonini 1 part. tit. 17, § 20. Sot. in 4, distinct. 27, qu. 1, arti-

cul. 4. Victor. in *Relection. de Potest. Eccl.* n. 18, et in praesens omnium fere Gallorum. (50. At opinionem hanc confutarunt Wiestner ad titul. *Decretal. de Constitut.* n. 199. Leuren. ad eundem titul. quaest. 182, et sequent. Suarez de *Legibus* lib. 6, cap. 14, fer. per tot. Pont. de *Matrim.* lib. 8, cap. 6, et novissime Mazzei de *Matrim. Conscient.* c. 2, § 5, et not. 2, impress. Romae per Barbiellini et qui priori loco commemorandus erat Benedict. XIV. de *Synod. diocesan.* lib. 9, cap. 1, § 5, et seq. et jure quidem meritoque. (51. Nulla enim Inferiori potest esse potestas dispensandi a Legibus Superioris, nisi haec ei potestas fiat ab ipso Superiore.

(52. Frustraque objicitur Canon. 29, de *Sentent. excommunicat.* Respondetur (ita optime ad rem Cap. hoc 29, explicat Suarez de *Legib.* lib. 6, cap. 14, num. 7,) sermonem ibi esse de absolutione a censuris, de qua longe diversa ratio est, quam de dispensatione. In quo multi errant ab una ad aliam argumentantes, non considerando differentiam inter illas, quam supra posuimus. Absolutio enim non est contra, aut praeter legem Superioris, sed secundum illam, et ideo nihil mirum quod possit ab inferiore dari, quamdiu non reservatur. Praeterea absolutio a censura, praesertim ab excommunicatione ordinatur ad bonum animae, et est necessaria ad usum Sacramentorum, et ideo merito concessa intelligitur, quando non reservatur. Quod secus est de dispensatione ab irregularitate v. g. et similibus. Hujus etiam evidens argumentum est, quod in dicto Cap. Nuper non solum Episcopo, sed etiam Parocho censetur concessa absolutio a censura Canonis non reservantis. Nemo autem dicet Parochum posse dispensare in omni lege, vel poena, non specialiter ipsi reservata.

De Regulis ex quibus dignosci queat an Episcopo permissum necne sit dispensare a Legibus Ecclesiae, consule Wiestner. et Leuren. locis modo citatis.

ARTICULUS VI.

Quoad ea quae episcopus potest, et debet, vel non.

(1. Episcopus prohibere potest, ne in Ecclesiis etiam Regularium canantur Cantilenae, vel laudes idiomate italico; Sac. Cong. Rit. in Novarien. 7. Augusti 1628. et hoc auctoritate tributa a Concilio Trid. in Decreto de *evitand. in celebrat. Missar.* (2. Immo non obstante quacumque contraria consuetudine poterit Episcopus prohibere, ne in Ecclesiis et Oratoriis publicis canatur. Musica lingua vernacula, quantumvis Cantiuenculae, et verba spiritualia sint. Sac. Cong. Rit. in Hispalen. 3. Septembris 1659. et 24 Novembris 1696. referente Eminentissimo D. Cardinali Colloredo in responsione ad quartum, quia cantus huiusmodi est contra Ritum Ecclesiae. (3. Episcopus potest suo arbitrio moderari scamna, et loca Laicorum in Ecclesia, Sac. Congr. Rit. in Vintimilien. 10. Decem-

bris 1604. in Fundana 5 Octobris 1697. et in Verulana 6. Septembris 1698. et Sac. Congr. Episcop. in Januarii 7. Aprilis 1583. in Camerinen. 12. Januar. 1588, in Sarzanen. 21. Novembris 1600. et in Recanaten. 10. Februar. 1645. (4. Episcopus potest prohibere, ne sedes Laicorum, etiam Praefecti, et Commendatarii locorum, locentur in Praesbyterio apud Altare, non obstante quacumque consuetudine in contrarium. Sac. Cong. Rit. in Equitanien. 10. Junii 1602. in respons. ad 6. (5. Episcopus potest remove indecentia et scandalosa in Ecclesiis arbitrio suo, Sac. Cong. Rit. in d. Equitanien. in respons. ad 5. dubium. (6. Episcopus potest prohibere Ludimagistris exercitium Scholae, quamvis fuerint nominati a communitatibus laicorum, nisi prius fuerint ab eodem approbati, ut respondit Sac. Cong. Concilii in Asculana Apuliae 28. Junii 1691.

(7. Episcopus potest ordinare, ut Canonici sedeant in sedibus Chori, vel in Scamnis apud Altare hinc inde juxta usum introductum, prout sibi melius videbitur Sac. Cong. Rit. in Alexandrina 25. Martii 1608. in respons. ad 11. dub. (8. Episcopus potest decretum edere, ne Canonici, et alii de Capitulo discedant ab Ecclesia tempore Concionis, et quod illi intersint quotidie sub poena amissionis distributionum illius diei, in qua defecerint; Sac. Cong. Episcoporum. in Comens. 10. Maii 1589. et in Castellatenen. 20. Augusti 1602. et Sac. Cong. Concil. in Nicien. 18. Novembris 1628, et in Milevitana 9. April. 1707. et Congregatio particular. in Casalensi 11. Martii 1708. ad 19. apud Card. Petram tom. 3. *Comm. in Constit.* 2. Nicolai III. n. 18. (9. Episcopus potest reducere consuetudinem longioris vacationis Canonicorum a servitio Ecclesiae ad tempus praescriptum a Sacro Conc. Trident. Sac. Cong. Conc. in Equitanien. 22. Novemb. 1602. ad 1. dub. (10. Episcopus potest auctoritate ordinaria, et etiam Apostolica sibi delegata a Sacra Congregatione prohibere Decano, et aliis quibuscumque Dignitatibus, et Canonicis, ne audeant, vel praesumant quidquam statuere, vel determinare, quod ad Ecclesiae commodum, vel incommodum pertineat extra locum Capitularem, et non vocatis omnibus; Sac. Congreg. Rit. in Lamacen. 7 Octob. 1606. (11. Episcopus potest Regularem exemptum, qui ob notorium delictum in Censuras incidit, denunciare pro publico excommunicato, ut tanquam talis evitetur ab omnibus; Sac. Congreg. Conc. in Messan. 11. Decembris 1626. et in Limana 19. Januar. 1633. et tenent Fagnan. in cap. *Grave* n. 73. de *Offic. Ordinarii* et in cap. *Potest.* a num. 15. ad 25. de *Sentent. et re judicat.* Barbosa de *Offic. et potest. Episc.* allegat. 105. n. 73. Card. de Luco in *Miscellan.* disc. 14. n. 6. et 7. de *Jurisdict.* disc. 29. num. 2. et 3. Panimoll. decis. 84. ad not. 2. n. 65. Pignatell. cons. 10. a num. 1. ad 6. tom. 7. et consult. 52. num. 6. et seq. tom. 9. Ventrigr. prax. part. 1. ad not. 48. num. 134. Tamburin. de *Jur. Abbat.* tom. 1. disp. 15. q. 7. num. 38. Nicol. Lucubrat. Canon. l. 5. tit. 39. de *Sentent. ex-*

comm. n. 29. Pirhing. lib. 3. *Decretal.* tit. 31. num. 115. et alii plures. (12. Contrarium tamen tenent plures alii, quos congerunt, et sequuntur Pasqualig. ad Lauret. de *Franc. contr.* part. 1. num. 138. Donat. *prax. rer. Regular.* tom. 1. part. 2. tract. 13. quaest. 26. et 27. quibus favere videtur Raynald. *observat. crim.* suppl. ad caput 32. supplement. 4. num. 31. et seqq.

(13. Episcopus potest rationem administrationis officii exigere a Vicario Capitulari tempore Sedis vacantis constituto, et si reus reperiat, punire, ut declaravit Sac. Congregat. Concil. 8. Aprilis 1595. ad cap. 16. sess. 24. de *Reform.* Immo Episcopus omitens scienter et negligenter facere syndacatum Vicario capituli, secundum graves Doctores peccat mortaliter quia Concilium Tridentinum d. c. 16. sess. 24. de *Reformat.* non consulit, aut hortatur Episcopum, ut recipiat rationem administrationis officii a Vicario, et aliis Officialibus Capituli, sed ei praecipit, et imperat illis verbis: *rationem exigat*; (14. Unde Episcopus omitens scienter, et negligenter id facere contra praecceptum Concilii, non est, ut refert Monacelli part. 3. tit. 1. formul. 40. num. 2. immunis a culpa mortali per text. satis clarum in c. *Nulli fas* 19. dist. et ex aliis Juribus ad hoc probandum adductis a Fagnan. in c. *Quoniam* num. 22. de *Constitut.* et in c. *Acrapula*. num. 21. de *Vita et honest. Clericor.* (15. Episcopus potest exigere juramentum de fidelitate administrandi ab administratoribus Locorum, et Legatorum piorum. Sac. Congreg. Concil. in Aliphana 18. Julii 1705. et 8. Maii 1706. (16. Et potest Episcopus ab ipsis rationes et computa administrationis exigere, tam in Visitatione, quam extra, etiam per suum Delegatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis. Concil. Trident. sess. 22. c. 8. et 9. de *Reformat.* Sac. Congreg. Concil. in Hispalen. 11. Januarii 1596. et in Ferentina 15. Martii 1604. et saepe alibi. (17. Immo Episcopus potest ab ipsis rationes et computa administrationis exigere, etiam si defunctus deposuisset, quod Legatum esset nullum, quando se immisceret Episcopus, et rationem requireret ab Executore et Administratore, quem voluit a nemine posse cogi ad reddendam rationem. Sic expresse declaravit Sac. Congregat. Concil. apud Fagnan. in c. *Tua Nobis, de Testament.* num. 16. et iterum in una Civit. Plebis 10. Decembris 1695. in qua bis resolvit, Episcopum, tanquam Executorem omnium Legatorum piorum posse ad formam d. c. *Tua Nobis, de Testam.* cogere Administratores ad exequentiam, et adimplendam Testatoris voluntatem, non obstante, quod expresse excluderetur in Testamento his verbis: « Che Monsignor Vescovo, o suo Vicario pro tempore non possa in alcun modo, ne sotto qualsivoglia pretesto, e causa ingerirsi, ne ad effetto d'eseguire, esortare, e persuadere, ne ad altro effetto, nella presente donazione, disposizione ed istromento, ma il tutto sii esente dalla sua giurisdizione ordinaria, e delegata, e dalla legge diocesana, che con questa condizione espressa il detto

Donatore dichiara aver fatta, e voler fare donazione, che altrimenti non avrebbe fatta, ne vorrebbe averla fatta, mentre questi potessero ingerirsi. » Vid. verb. *Administratio*, et verb. *Confraternitas* art. 3. ubi late ostenditur, posse Episcopum rationem administrationis exigere a locis piis, et Confraternitatibus, etiamsi sint sub immediata Regum protectione.

(18. Episcopus potest ex aliqua rationabili causa convocationem Capituli Canoniorum habere, et suspendere: Sac. Cong. Episc. in Regien. 4 Junii 1604. et S. Cong. Conc. in Lauretana 6. Feb. 1700. (19. Episcopus potest intervenire in actionibus Capitularibus, dummodo non agatur de interesse suo, non obstante quacunque consuetudine in contrarium Sac. Congr. Concil. 2. Martii 1619. (20. Episcopus potest cogere Canonicos ad præstandum juramentum de fideliter punctando in Choro. Sac. Congr. Concil. 17. Martii 1619. (21. Episcopus potest retinere penes se unum, vel duos Canonicos, qui fructus Præbendæ, non tamen quotidianas distributiones percipiant, ac si choro præsentibus essent, etiam stante consuetudine in Ecclesia Cathedrali, quod Canonici non interessentes divinis non percipiant fructus Præbendæ Sac. Congr. Concil. teste Nicolao Garcia de *Benefic.* part. 3. c. 2. num. 347. (22. Episcopus potest et debet providere juxta formam cap. 12. in fine sess. 24. *De reformat.* ne una pars Chori aliquando vacua remaneat per absentiam Canoniorum, dum Canonici habentes assignatas sedes in alia parte, sedes suas egredi renunt; Sac. Congr. Concil. in Gienen. 7. Septemb. 1595. (23. Episcopus potest concedere, ut Canonici ob aeris intemperiem valeant horam Matutini protrahere, prout pro tolerantia respondit Sac. Congr. Concil. in Trojana 14. Feb. et 14. Novemb. 1699. favore capituli Collegiæ Civitatis Foggia. (24. Episcopus de consensu Capituli erigere potest Dignitatem etiam in Cathedrali. Sac. Congreg. Concil. in Clodien. 5. Julii 1608. in Aquinaten. 20. Februar. 1677. in Mazariensi 20. Septembr. 1692. et in Sabinen. 14. Aprilis. 1696.

(25. Episcopus potest diebus Festis larvas prohibere, non obstante asserta contraria consuetudine, et licentia præstita a Governatore, ut declaravit Sac. Congreg. Episcoporum. et Regul. in Viterbiens. seu Aquipendii 16. Januar. 1693. (26. Item potest etiam Episcopus meretricibus larvam prohibere, quamvis Governator eisdem illam deferendi permissionem et facultatem dedisset prout Sac. Congreg. Episcoporum. rescripsit. V. Legato Marchia 9. Martii 1604. (27. Episcopus potest prohibere, nedum Clericis sæcularibus, sed etiam Regularibus, ne incedant cum larva. Sac. Congregat. Episcoporum. et Regul. in Ferrariens. 5. Februar. 1585. (28. Potest Episcopus carcerare Regulares offendentes suos Ministros, et Officiales. (29. Sacra Congreg. Episcoporum. in Theatina 27. Martii 1692. Episcopus potest coercere, et punire Militem Hierosolymitanum, et alios exemptos offendentes personam Officialium

sua Curia Episcopalis in actu exercendi suum Officium, aut alios suam juris fictionem impediens. Sac. Congr. Concil. in Panormitana, ubi proposito dubio: « An Milites Hierosolymitani offendentes in personam Officialium Curia Archiepiscopalis Panormitana in actu exercendi suum officium, aut alias Illustrissimi Archiepiscopi jurisdictionem impediens, ab eodem coerceri, et puniri possint? Sac. Congr. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, partibus auditis, dubioque accurrate discusso censuit posse. » Card. Ubalinus.

(30. Episcopus potest retinere familiam armatam, et Satellites. Sac. Congregat. Episcoporum. in Civitat. Castell. 14. Aprilis 1615. in responsione ad tertium dubium; et sic Doctores communiter. (31. Et si non habeat familiam armatam, potest concedere licentiam Licetibus Tribunalis Laici, ut capiant Clericos deferentes arma, modificatione tamen contenta in Decreto emanato sub die 3. Februar. 1633. in *Turritana*, quod est sequentis tenoris: « In locis, ubi adest abusus inter Clericos deferendi arma, et Episcopus non habet familiam armatam, debet publicare edictum, ne Clerici sæculares, vel Regulares arma deferant, et si parere detrectent, et ubi necessitas exposcit, Ministris Curia sæcularis facultatem tribuere, Clericos contra prohibitionem arma deferentes capiendi, etiam quoad Regulares, si hi ita notorie deferant, et delinquant extra Claustra, ut populo scandalo sint, ac in aliis casibus in jure, et Constitutionibus Apostolicis expressis, ita tamen, ut ea, qua decet, decencia capiantur, et recto tramite ad carceres Curia Ecclesiastica ducantur, » lib. 15. decret. pag. 162. juxta dispositionem Concilii cap. 3. sess. 15. *De reformat.* (32. Episcopus in sua Diocesi utitur familia armata. Tribunalis Laici absque Judicis licentia, quia Licetores requiruntur tamquam personæ private materialiter, ut velint nomine suo (a quo recipiunt auctoritatem) exequi ejus mandata, quod Judex Laicus nullo modo potest prohibere; cap. final. *de Immunit.* in 6. Pignatell. tom. 1. consult. 174. et pluries declaravit Sac. Congregat. Immunitat. et præsertim in Narnien. 23 Junii 1648. lib. 4. *Decret. Pauluc.* fol. 13. et in Maceraten. 2 Septemb. 1664. in qua injunctum fuit extrahi rubricam Decreti alias editi sub die 30 Junii 1632. in causa Vercellen. tenoris sequentis...: « Judices et Ministros non posse prohibere executoribus Curia laicalis, quominus exequantur monitoria, et mandata Curia Ecclesiastica, etiam nulla petita licentia, vel assensu. » Lib. *Decretor. Rocci* fol. 568.

(33. Episcopus contra Clericos non deferentes habitum postquam ter monuit, potest illos privilegiis Clericalibus privare. Sac. Cong. Immunit. in Aquilana 5 Martii 1641. in qua sic respondit Episcopo, « quod Clericis delinquentibus, et non incedentibus in habitu et tonsura, et non inservientibus Ecclesiis, fiat præceptum cum termino competentis sub pœna privationis privilegiorum Clericalium, quod si non paruerint, poterit

procedere ad illorum privationem ser. ser. qua sequuta, gaudere non poterunt, » lib. 3. *Decr. Paul.* fol. 139. Et similiter decrevit in Castrens. die 21 Martii 1645. lib. 3. *Decret. Paul.* fol. 246. Et in Anglonen. 15 Julii 1654. lib. *Decret. Rocci* fol. 595. (34. Episcopus potest punire Clericum delinquentem, et requisita Concilii non habentem, et tamquam Laicum se habentem, etiamsi Judex Laicus præverit, a quo repetere possit, dummodo ille per declarationem a jure, vel ab homine servatis servandis factam, non fuerit privilegii Clericalibus denudatus; Sac. Congr. Concil. 12 Novembris 1630, quam refert Sperell. decis. 17. n. 33. in fine; ubi testatur, hanc resolutionem fuisse a Sanctissimo D. N. Urbano VIII. canonizatam et approbatam, et ad hoc facit casus sequens.

(35. « Clericus primæ Tonsuræ, a die quo fuit Ordinatus per septem annos continuos non inessit in habitu, et tonsura; immo intra dictum tempus exercuit Officium Judicis; commisso delicto, fuit a Judice Laico inquisitus, citatus, et domi sistere jussus, sed arrepta fuga, reassumptoque habitu, cepit Ecclesiam inservire. Pro sua directione supplicat Episcopus Nicien. declarari:

« I. An iste Clericus gaudeat privilegio fori.

« II. An Episcopus possit Judici Laico fundanti super notorietate a reassumptione habitus in fraudem, inhibere ne procedat, nec quoad personam, nec quoad bona, donec ipse cognoscat, an gaudere debeat?

« III. An saltem id possit visis litteris primæ Tonsuræ?

« IV. An contra Judicem Laicum nihilominus non desistentem possit procedere ad Censuras?

« V. An possit Episcopus hanc causam sibi vindicare?

« VI. An debeat? »

Die 30 Maii 1676, Sacra Congr. Conc. respondit ad omnia *affirmative*.

(36. Episcopus punire potest contrahentes Matrimonia contra suam prohibitionem. Sac. Congreg. Concil. sub die 10 Febr. 1626. (37. Item punire potest illos, qui contrahunt coram Parocho dissentiente. Ead. Sac. Congr. (38. Item punire potest eos, qui contrahunt, omissis denunciationibus. Ead. Sac. Congr. (39. Item punire potest testes, si sint in dolo. Ead. Sac. Congr. in qua propositis sequentibus quæsitis:

« An Episcopus possit punire contrahentes Matrimonium contra ejus prohibitionem contractum?

« II. An eos, qui contrahunt coram Parocho ex causa justa dissentiente?

« III. An eos, qui contrahunt omissis denunciationibus?

« IV. An possit punire testes intervenientes in supradictis casibus?

« V. An possit in eisdem casibus punire pœnis pecuniariis, locis tamen piis applicandis? »

FERRAR. III.

S. Congregatio, etc.

Ad primum, secundum, et tertium respondit: *Episcopum posse*.

Ad quartum: *posse, quatenus testes sint in dolo*.

Ad quintum pariter respondit: *posse*; et novissime censuras latas in Synodalibus Constitutionibus contra Sponsos, qui Matrimonium absque præviis denunciationibus inierant, esse validas, respondit Sac. Congr. Concil. in Placentina 3 Februar. 1725. ad 2 dub. ubi erat lata excommunicatio.

(40. Et in Savonen. 2 Martii 1595, respondit: « Matrimonium contractum, servata forma Concilii, esse validum, etiamsi antea Episcopus inhibuisset Parocho, licet hic puniri valeat ob inobedientiam, » lib. 8. *Decr.* fol. 106.

(41. Episcopus potest contra Concubinos, nullis præcedentibus monitionibus, procedere, quando non procedit ad Censuras; Sac. Congr. Concil. die 23 Junii 1629. Et iterum Episcopus potest contra Concubinos procedere eos carcerando, quando timetur de fuga juxta formam traditam in c. 6, absque monitione. Vel sic Episcopus potest ipse solus ex Decreto Conc. sess. 23. *de Reform.* c. 14, in crimine concubinitus ad informationem summariam, et incarcerationem procedere, ubi de fuga timetur, idque absque forma et monitione illa, quæ præscripta est dicto Decreto Concilii. Sac. Congr. Conc. Utrumque refert Nicol. Garcia de *Benef.* p. 11, c. 10, n. 186. (42. Episcopus absque Inquisitore potest cognoscere, decidere et determinare causas illorum, apud quos reperuntur libri prohibiti non sapientes manifestam hæresim. Sac. Congr. generalis et universalis Inquisitionis, 2 Decemb. 1612.

(43. Episcopus potest procedere contra Laicum, qui subornare attentavit testes in causa pendente coram Judice Ecclesiastico. Sac. Congr. Immunit. in Regien. 18 Martii 1631.

(44. Episcopus potest delegare alicui Sacerdoti sibi benevisio benedictionem Ecclesie, seu Capellæ in agro existentis, si alias est legitime constructa. Sac. Congr. Rit. in Fanen. 14 Febr. 1632. (45. Episcopus solus potest habere fenestram e domo respicientem in Ecclesia. Sac. Congr. Rit. in Elboren. 19 Junii 1604. (46. Episcopus potest ex causa concedere Confraternitatibus Laicorum, ut in eorum Ecclesia conservent Sanctissimum Sacramentum. Sac. Congreg. Rit. in Iscolen. de Ferro, 11 Junii 1604. (47. Episcopus potest pro contributione Seminarii taxare bona confraternitatum, quatenus sint Ecclesiastica; Sac. Congr. Concil. in Sinuina, 19 Novembris 1628.

(48. Episcopus debet esse vitæ irreprehensibilis; D. Paulus 1 *ad Timoth.* cap. 3, et late Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* p. 1, tit. 2, glossa 3. (49. Debet esse Episcopus hospitalis, et eleemosynarius; 1 *ad Timoth.* c. 3, *ad Titum*, c. 1, c. *Fratrem*, dist. 86, c. *Episcopus*, c. *Res Ecclesie*, et c. seq. 12, q. 1. Concil. Trident. sess. 25, *de Reform.* et late Barbosa, loc. cit. glossa 9. (50. Episcopus debet esse pudicus, et continens,

unde debet fugere consortia mulierum; 1 ad *Timoth.* c. 3, ad *Titum*, c. 1, c. *Interdixisti*, et c. *sequent.* dist. 32, et late Barbosa, loc. cit. glossa 8. (51. Episcopus debet esse sobrius, et non vinolentus, nec epulatur; 1 ad *Timoth.* c. 3, ad *Titum*, c. 1, et late Barbosa, loc. cit. glossa 5 et 11. (52. Episcopus debet esse modestus, mansuetus, et humilis; 1 ad *Timoth.* cap. 3, ad *Titum* cap. 1, c. *Licet plerumque* dist. 45. Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. *de Reform.* et late Barbosa loc. cit. gloss. 12 et 13. (53. Debet avaritiam et iracundiam fugere; 1 ad *Timoth.* c. 3, ad *Titum* c. 1, c. *Ex parte, de Censibus*, c. *Episcopus* 11. q. 3. et late Barbosa loc. cit. gloss. 14 et 15. (54. Episcopus debet esse doctor, et prudens, ut omnibus omnia factus, sciat pro exigentia monita salutis præbere, et oves sibi commissas pascere verbo Dei; 1 ad *Timoth.* cap. 3, ad *Titum* c. 1, c. *Qui Placuit* 10. q. 1 c. 1. § *Sane, de Censur.* in 6. Concil. Trident. sess. 4. c. 2. *de Reformat.* et late Barbosa loc. cit. gloss. 6 et 10. (55. Episcopus debet concordiam, pacem, et unitatem non solum inter Ecclesiasticos, sed etiam inter laicos fovere, c. *Præcipimus*, et per tot. dist. 90. c. *Episcopus*, c. *Res Ecclesie*, et c. seq. 12. q. 1. Graff. *Decis. aur.* p. 2. lib. 2. cap. 21. n. 21. (56. Episcopus debet pupillis, viduis, aliisque pauperibus oppressis providere, tueri, et justitiam ministrare; c. *Pervenit*, et c. *sequent.* dist. 84. c. 1. 2. et per tot. distinct. 87. c. *Scire* 23. q. 8. c. *Super quibusdam* in fin. *de verb. Signific.* (57. Episcopus debet quotidie Missam celebrare, vel saltem audire; c. *Quoniam Episcopi* 12. *de Privileg.* in 6. ibi: «Nec semper possunt commode ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda, vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet absque causa rationabili ullam diem;» ac, si celebret, pro ovibus suis sacrificium applicare. Concil. Trident. sess. 23. *de Reformat.* Monacell. t. 1. tit. 1. formul. 1. num. 8, qui tom. 2. tit. 16. formul. 2. a num. 23. et tom. 3. tit. 2. form. 8. late probat, quod Episcopus teneatur frequenter pro populo sacrificium offerre. Immo tom. 3. tit. 2. form. 7. num. 24. dicit, quod Episcopus debet saltem diebus Dominicis interesse Choro. (58. Episcopus debet mores in populo, disciplinam in Clero, nitorem et decorem in Ecclesiis totis viribus fovere, et promovere; Concil. Trid. sess. 24. c. 3. *de Reformat.* Bellet. *Disquisit. Clerical.* p. 1. § 5. *de Favor. Cleric. real.* num. 67. et seq. Crispin. *de Visitat.* pag. 2. § 14. num. 8. (59. Episcopus debet delicta Clericorum præsertim publica punire, et mores reformare; cap. *Nemo quippe*, et cap. *Si quis Episcopus* dist. 83. cap. *Quid autem* 8. q. 1. cap. *Est injusta* 33. q. 4. c. final. *de Excessibus Prælat.* c. § *Sane, de Censib.* in 6. (60. Episcopus debet per se ipsum legitime non impeditum Diocesim visitare singulis annis, et si propter ejus latitudinem non possit visitare totam quotannis, debet saltem toto biennio per se, vel suos visitationem complere. Sic expresse

Concil. Trid. sess. 24. c. 3. *de Reform.* (61. Episcopus debet Officiales, et Ministros bonis moribus, bonaque fama præditos retinere, et improbos arcere; Concil. Trident. sess. 2. *de Reformat.* c. unico. (62. Episcopus debet Sacramentum Ordinis sine labe et suspitione Simonie, aut spe munerum, et tantum dignis conferre; cap. *Sacerdotes* dist. 49. cap. *Presbyter* 1. quæst. 1. cap. *Per tuas, de Simonia* cum concordant. (63. Episcopus debet multas, et pœnas pecuniarias locis, et usibus piis applicare; cap. *Presbyteris, de Pœnitent.* Concil. Trid., sess. 6, c. 1. sess. 23, c. 1. et sess. 25, *de Reformat.*, c. 3. (64. Unde debet constituere fidelem Depositarium, qui ipsas recipiat, et fideliter de suo mandato locis, et usibus piis applicet; Sacr. Cong. Episcop. in Caven., 5 Octob. 1577, in Nicoteren. 1 Apr. 1596, in Cantanzaren. 16 Augusti 1604, et alibi sæpissime; Vide verb. *Pœna*, art. 1, a num. 50 ad 72. (65. Et debent applicari pauperibus, vel locis piis Diœcesis ad arbitrium Episcopi; Sacr. Congreg. Episcop. in Orien. 21 Maii 1580, in Motulana, 21 Junii 1652. (66. Nec potest Episcopus ipsas sibi applicare, quamvis sit pauper, et egenus, nisi sibi a Sede Apostolica fuerit hoc specialiter permissum, et concessum; Nicolius, *Lucubrat. Canon.*, lib. 5, tit. 37, sub num. 1, amplia 3, ubi refert ad hoc plura Decreta; Fagnan., in c. *Presbyteri*, num. 18, 39, et per tot., *de Pœnis*; Monacell., tom. 1, tit. 1, formul. 13, a num. 2 ad 4. Quarant., in summ. *Bullar.* verb. *Pœna pecuniariae*, Riccius, *Præf. fori Eccles.*, p. 1, resolut. 321. Graff., *Decis. aur.*, part. 1, lib. 2, c. 23, num. 18. (67. Nec Episcopus potest partem ipsarum pœnarum applicare suo Fiscali, vel alteri Officiali; Sacr. Congr. Concil. in Alexandrina 18 Januar. 1613, et in Clusina 23 Novembris 1640. Vide d. verb. *Pœna*, num. cit. (68. Episcopus debet Beneficium Parochiale conferre per concursum, si conferat jure devoluto ob negligentiam Patroni Laici; Sacr. Congreg. Conc. 29 Novembris 1600. (69. Episcopus in collatione Beneficii debet servare formam a Fundatore præscriptam, etiamsi conferat jure devoluto, et sic debet conferre uni ex vocatis; Garcias, *de Benefic.*, p. 10, c. 3, num. 42. Monacell., tom. 1, tit. 2, formul. 10, num. 13, et alii passim. (70. Episcopus in fundatione Beneficii debet admittere conditiones præscriptas a Fundatore, quamvis Juri communi contrarias, dummodo non sint turpes, impossibiles, et contra naturam Jurispatronatus; et hoc ne Laici a fundationibus retrahantur; c. *Eleutherius* 18, quæst. 2, Clement. *Quia contingit, de Religios. domib.*, et communis Doctor. cum Gonzal., ad reg. 8. *Cancellar.*, gloss. 5, num. 47, 102 et 103. Barbosa supra Concil., c. 9, sess. 22, *de Reform.*, num. 27 et 28. Lotter., *de re Benef.*, lib. 1, q. 32, num. 14 et 15. (71. Episcopus debet in publicatione Decretorum Synodi, Capituli consilium exquirere, aliter nulliter agit; Sacr. Cong. Concil. in S. Marci Synod. 10

Maii 1666, et in Boven. Synod. 17 Februar. 1680. (72. In Beneficiorum unione Episcopus adhibere debet consilium, et assensum Capituli; Clement. 2, *de rebus Eccles. non alienand.* Seraphin., decis. 108, num. 2. Monacell., tom. 4, supplement. ad tom. 2, n. 313. (73. Item debet Episcopus adhibere consilium, et assensum Capituli in erectione novæ Dignitatis, et novi Canoniciatus; Sacr. Congr. Conc. in Clodien. 5 Jul. 1608, in Aquinaten. 10 Febr. 1677, in Mazarien. 20 Septemb. 1692, et in Sabin. 14 Apr. 1696. (74. Quid possit et debeat Episcopus quoad Regulares, et Moniales; Vid. verb. *Regulares*, et verb. *Moniales*. (75. Episcopus non potest erigere Collegiatam, neque in actu Visitationis; Sacr. Congregat. Conc. in Catanien. erectionis Collegiatæ 1 Septem. 1691, in qua cum quæsitum fuisset: «An erectio Collegiatæ facta per Episcopum in actu Visitationis Ecclesiæ S. Antonii Oppidi S. Philippi de Argiro sustineretur?» responsum fuit *negative*. (76. Neque potest Episcopus curam supprimere, ut erigat Dignitatem; Sacr. Congreg. Concil. in Pientina 14 Februar. 1693. Neque potest Episcopus de novo concedere Canonicis Almutiam; Sacr. Congreg. Rit. in Placentina 16 Januar. 1620. (77. Neque Cappam sine privilegio, et expressa licentia Sedis Apostolicæ; ead. Sacr. Congreg. Rit. in Elven. 16 Januar. 1604, in Brundusina 10 Dec. 1612, in Hydruntina 1 Septembris 1618, in Taurinen. 21 Junii 1641, in Tarvisina 8 Februar. 1659. (78. Episcopus non potest statuere, quod Canonici, qui non sunt in Sacris, non lucrentur distributiones; Sacr. Congregat. Concil. in Patavina 23 Augusti 1631. (79. Neque potest statuere quod Canonicis Jubilatis vigore Indulti non debeantur distributiones extraordinariæ, quæ vel ob absentiam, vel vacationem Canonicorum interessentibus accrescunt, nam pro his indultum suffragatur; Sacr. Congregat. Concil. in Romana 5 Maii 1703, et in Burg. S. Domini 19 April. 1704. (80. Neque potest statuere, quod distributiones, quæ amittuntur a Canonicis absentibus, et accrescunt inservientibus, applicentur Fabricæ Ecclesiæ, aliisque usibus piis; Sacr. Cong. Conc. in S. Severini 16 Jun. 1695, et in Cathacen. 18 Junii 1699. (81. Episcopus sicuti et Capitulum non potest amissas distributiones ob non residentiam remittere, aut condonare illi ipsi, qui eas amisit; Conc. Trid. sess. 24, c. 12, *de Reform.*, verb. *Distributiones*, et Sacr. Congreg. ejusdem Concilii in Giennen. 24 Aprilis, et in Avenion. 25 Septembris 1700. (82. Episcopus non potest uti Oratorio privato extra Domum propriæ habitationis. Sic mandante, et approbante Clemente XI, in Decreto Generali de celebratione in Oratoriis privatis, statuit Sacr. Congreg. Concil. 15 Decembris 1703. Vide tamen Pontificiam declarationem ad id datam sub verb. *Oratorium*, num. 70. (83. Episcopus non potest cogere, sed hortari Curatos, et Rectores Ecclesiarum, ut necessaria ministrent Presbyteris celebrare volentibus in eorum

Ecclesiis; Sacr. Congreg. Rit. in Equitan. 10 Junii 1602, ad 4 dub. (84. Episcopus non potest concedere licentiam, ut quis celebrare possit Missam cum Birreto, seu Berrelineo, aut Pileolo in capite, sed spectat tantum ad Summum Pontificem eam dare; Sacr. Congreg. Episcop. et Regul. 2 Januar. 1590, et 17 Junii 1595. (85. Idem censuit etiam Sacr. Congreg. Conc. 16 Febr. 1619. Immo neque ipse Episcopus potest eo uti sine Sedis Apostolicæ licentia; Sacr. Rit. Congr. 31 Januar. et 4 Aprilis 1626, quia c. *Nullus* 56, *de Consecr.*, dist. 1, etiam Episcopo prohibet velato capite celebrare. (86. Episcopus non potest ultra duos menses uti opere Parochi; Sacr. Cong. Conc. die 8 Januar. 1638. (87. Episcopus non potest concedere licentiam Canonicis a residentia absentandi ultra tres menses; Sacr. Cong. Conc. testibus Nicol. Garcia, *de Benef.*, p. 3, c. 2, n. 476. Armend., in addit. ad *Recap. ad leges Navarrae*, lib. 2, tit. 23, *de Resident.*, sub tit. *An Canonici*, etc. num. 84, et cum ipsis tenent Fagn. in c. *Licet*, num. 37, *de Præbend.* Monacell., tom. 1, tit. 4, form. 7, num. 8. Barbosa, et alii passim firmantes, quod Episcopus licentiam absentie ultra tres menses extendere non possit, nisi ex causis expressis in Jure, et juxta formam c. *Unico, de Cleric. non resident.*, in 6. (88. Episcopus non potest dispensare, ut Dignitas in Ecclesia Cathedrali non habens Curam animarum possit conferri illi, qui non habuerit 22 annos completos; Sacr. Congreg. Conc. die 20 Sept. 1631. (89. Episcopus non potest dispensare, ut habens duo Beneficia etiam simplicia, et ad honestam Clerici sustentationem non sufficientia, possit obtinere, et retinere tertium Beneficium, etiamsi omnia simul ad Beneficiati sustentationem non sufficiant: sic fuit pluries declaratum a Sacr. Congreg. Concil. et signanter die 10 Maii 1607, et die 16 April. 1628, in una Anagnina sic: «Beneficium tertium simplex retinere non potest absque provisione Sedis Apostolicæ, quamvis duo priora sint ad obtinentis sustentationem insufficientia,» et sic in Aquilana 14 Augusti 1632, et hæc est vera mens Sacri Conc. Trident. ut testantur Fagnan. in c. *Cum jamdudum* 18, *de Præbend.*, n. 71, de mente ipsius Sac. Congr. Concilii, quæ, ut dicit ipse, sæpe sæpius in casibus contingentibus respondit: «Episcopum habenti unum simplex Beneficium, quod non sufficiat ad ejus sustentationem, posse aliud simile conferre, sed non posse ultra duo absque dispensatione Sedis Apostolicæ, etiamsi omnia simul ad illius sustentationem non sufficiant.» (90. Immo neque potest Episcopus dispensare, ut quis retineat tertium Beneficium simplex, etiamsi esset de Jurepatronatus, ut decrevit Sacr. Congreg. Concil. in una Boven. 13 Novembris 1629, in qua cum dubitatum fuisset, an habens duo beneficia simplicia, tertium de Jurepatronatus ad præsentationem Patronorum auctoritate ordinaria assequi, et retinere possit absque dispensatione Apostolica? Sacr. Cong. censuit, «ter-